



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De his quæ pertinent ad statum episcoporum. Quæstio 185.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

De pertinentibus ad statum episcoporum, in cōto articulos diuisa.

D Einde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum episcoporum.

- ¶ Et circa hoc queruntur octo.
- ¶ Primo, vtrum liceat episcopatum appetere?
- ¶ Secundo, vtrum liceat episcopatum finaliter recusare?
- ¶ Tertio, vtrum oporteat ad episcopatum eligere meliorem?
- ¶ Quarto, vtrum episcopus possit ad religionem transire?
- ¶ Quinto, vtrum liceat ei corporaliter subditos suos deserere?
- ¶ Sexto, vtrum possit habere proprium?
- ¶ Septimo, vtrum peccet mortaliter bona ecclesiastica pauperibus non erogando?
- ¶ Octauo, vtrum religiosi qui ad episcopatum assumuntur, teneantur ad obseruantias regulares?

ARTIC. I.

Vtrum liceat episcopatum appetere?

876

Ad primum sic proceditur. Viderur, quod liceat episcopatum appetere. Dicit enim Apostolus primæ ad Timoth. 3. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed licitum est & laudabile bonum opus desiderare. Ergo etiam laudabile est desiderare episcopatum.

quolib. 2.
ar. 11. Es
quol. 3. a.
9. cor. Es
quol. 5. a.
22. cor. et
quol. 12.
ar. 18. Es
opus. 18.
c. 19. Es
1. Tim. 3.
col. 1. Es
2.
q. preced.
ar. 7.

¶ 2 Præterea, Status episcoporum est perfectior, quam religiosorum status, vt supra habitum est. Sed laudabile est, quod aliquis desideret ad statum religionis transire. Ergo etiam laudabile est, quod aliquis appetat ad episcopatum promoueri.

¶ 3 Præterea, Prouerborum vndecimo dicitur, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Sed ille, qui est idoneus & vita & scientia ad episcopatum, videtur frumenta spiritualia abscondere, si se ab episcopatu

R r 2 scopatu

scopatu subtrahat. Per hoc autem quod episcopatum accipit, ponitur in statu frumenta spiritualia dispensandi. Ergo videtur quod laudabile sit episcopatum appetere, & vituperabile, ipsum refugere.

¶ 4 Præterea, Facta sanctorum, quæ in sacra Scriptura narrantur, nobis proponuntur in exemplum: secundum illud ad Romanos 15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Sed legitur Isa. sexto, quod Isaias se obtulit ad officium prædicationis, quod præcipue competit episcopis. Ergo videtur quod appetere episcopatum sit laudabile.

SED contra est, quod Augustinus dicit de ciuit. Dei *, Locus superior sine quo populus regi non potest, etsi ita administraretur ut deceat, tamen indecenter appetitur.

c. 19. non
procul a
fn. 10. 5.

RESPONDEO dicendum, quod in episcopatu tria possunt considerari. Quorum vnum est principale & finale, scilicet episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur: secundum illud Ieron. ult. Pasce oues meas. Aliud autem est alterius gradus: quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matt. 23. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reuerentia, & honor & sufficientia temporalium: secundum illud primæ ad Timot. 5. Qui bene prædicant presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo episcopatum ratione huiusmodi circumstantiarum bonorum, manifestum est quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Math. 23. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere episcopatum est præsumptuosum. Unde Dominus Matt. 20. arguit Discipulos primatum quærentes, dicens, Scitis quia principes Gentium dominantur eorum. Vbi Chrysostomus

stomus dicit *, quòd per hoc ostendit, quòd gentile est primatus cupere: & sic Gentium comparatione eorum animam astuantem conuertit. Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile & virtuosum. Verùm quia prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis proffit, nisi manifesta necessitate imminente: sicut Gregorius dicit in Pastoral. * quòd tunc laudabile erat episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia grauiora, peruenire. Vnde non de facili inueniebatur qui hoc onus assumeret, præsertim cum aliquis charitatis zelo diuinitus ad hoc incitatur: sicut Gregorius dicit in Pastoral. *, quòd Isaias prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetit. Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda: ita quòd opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Vnde Chryf. dicit super Matt. † Opus quidem desiderare bonum, bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat: desiderantem se odit.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Gregorius dicit in Pastoral. †, Illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur: & sic nihil aliud erat quod in episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. Vnde Augustinus dicit 19. de Ciuit. Dei *, quòd Apostolus dicens, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen operis est, non honoris. Græcum est enim: epi quippe super, scopos vero intentio est. Ergo episcopus Græce, si velimus Latinè, superintendere possumus dicere: vt intelligat non se esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. In actione enim (vt patet

hom. 66.
in Matt.
a medio,
to. 2.

in p. 1. c.
8. circa
med.

in p. 1. c.
7. paulò
a prin.

hom. 35.
in Matt.
inter me.
et fin. in
opere im
perfecto,
to. 2.
† p. 1. c. 8.
circa me.

ca. 19. a
med. to. 5



*ead. cap.**p. 1. c. 8.
in prin.**z 6. eccl.
hierar.**cap. 19. a
med. 10. 5**† hom. 35
in opere
imperfe-
cto in 2.
pag. ante
fin. 10. 2.*

rum ante præmittit †) non amandus est honor in hac vita, siue potètia, quoniam omnia vana sunt sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potèntiam fit. Et tamen (vt Gregor. dicit in Pastoralibus) Apostolus laudans desiderium, scilicet boni operis, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cum subiungit, Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse: quasi dicat, Laudo quod queritis, sed discite quid queratis.

Ad secundum dicendum, quod non est eadem ratio de statu religionis, & de statu episcopali, propter duo. Primo quidem, quia ad statum episcopalem præexigitur vitæ perfectio: vt patet per hoc, quod Dominus à Petro quaesuit, si plus eum ceteris diligeret, antequam ei committeret pastorale officium. Sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. Vnde & Dominus Mat. 19. non dixit, Si es perfectus, vade, vende omnia que habes: sed, Si vis perfectus esse. Et huius differentie ratio est: quia secundum Dionys. † perfectio peruenit actiue ad episcopum, sicut ad perfectorem: ad monachum autem passiuè, sicut ad perfectum. Requiritur autem, quod sit perfectus aliquis ad hoc, quod possit alios ad perfectionem adducere: quod non præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci. Est autem præsumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet, non autem quod aliquis ad perfectionem tendat. Secundo, quia ille qui statum religionis assumit se alijs subijcit ad spiritualia capienda: & hoc cuiuslibet licet. Vnde August. 19. de ciuit. Dei dicit, A studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile orium pertinet. Sed ille qui transit ad statum episcopalem, sublimatur ad hoc, quod alios prouideat. Et hanc sublimationem nullus debet sibi assumere: secundum illud ad Hebr. 5. Nec quicumque sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et Chryl. dicit super Matthæum †, Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens

piens vult vtrò se subieere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia, nisi fortè qui non timet Dei iudicium, abutens primatu Ecclesiastico seculariter, vt scilicet conuertat ipsum in secularè ?

Ad tertium dicendum, quòd dispensatio spiritualium frumentorum non est faciendà secundum arbitrium cuiuslibet, sed principaliter quidem secundum arbitrium & dispositionem Dei: secundario autem, secundum arbitrium superiorum pralatorum, ex quorum persona dicitur 1. ad Corint. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et ideò non intelligitur ille abscondere frumenta spiritualia, cui non competit ex officio, nec ei à superiori iniungitur, si ab aliorum correctione aut gubernatione desistat. Sed solum tunc intelligitur abscondere, si dispensationem negligat, cum ei ex officio incumbat: vel si officium, cum ei iniungitur, pertinaciter recipere renuat. Vnde August. *c. 19. circa fin. s. 5* dicit 19. de Ciuit. Dei *, Orium sanctum quærit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendâ, atque intuendâ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipiendâ est propter charitatis necessitatem.

Ad quartum dicendum, quòd sicut Gregor. dicit *in p. 1. c. 7. a med.* in Pastoralis *, Isaias, qui mitti voluit ante per altaris calculum se purgatum vidit: ne non purgatus adire quisque sacra mysteria audeat. Quia ergo valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur.

ARTIC. II.

Vtrum liceat episcopatum iniunctum omnino recusare?

877

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd liceat episcopatum iniunctum omnino recusare. Vt enim *quod. 5. ar. 22. p. 1. c. 7. paulò a princ.* Greg. dicit in Past. *, Per actiuâ vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetijt.

Rr 4 Per

Per contemplatiuam verò, Hieremias amori conditoris sedulo inharere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Nullus autem peccat si meliora nolit deserere, vt minus bonis inharere. Cum ergo amor Dei præmineat dilectioni proximi, & vita contemplatiua præferatur vita actiua, vt ex supra dictis patet: videtur, quod non peccat ille qui omnino episcopatum recusat.

q. 26 ar.
2. q.
182. ar. 1

p. 1. c. 7.
a med.

¶ 2 Præterea, Sicut Gregorius dicit, Valde difficile est, vt aliquis purgatum se possit cognoscere: nec debet aliquis nõ purgatus sacra mysteria adire. Si ergo aliquis non sentiat se esse purgatum, quantumcumque sibi episcopale iniungatur officium, non debet illud suscipere.

habetur
hic prolo
gus in gl.
ordin. in
prin. euã
ge. Marc.

epist. 81.
paulo an
te med.
to. 2.
† in ead.
epist.

¶ 3 Præterea, De beato Marco Hieronymus dicit in prologo super Marcum, quod amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, vt sacerdotio reprobatus haberetur. Et similiter aliqui vorum emittunt, vt numquam episcopatum accipiant. Sed eiusdem rationis est ponere impedimentum ad aliquid, & omnino recusare illud. Ergo videtur, quod absque peccato possit aliquis omnino episcopatum recusare.

SED contra est, quod August. dicit ad Eudesium, Si quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiementis desidia respuatis: Postea subdit, Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesie præponatis: cui parienti si nulli boni ministrare vellent, quo modo nosceremini non inueniretis.

RESPONDEO dicendum, quod in assumptione episcopatus duo sunt consideranda. Primo quidem, quod deceat hominem appetere secundum propriam voluntatem. Secundo, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem, conuenit homini principaliter intendere propriæ salutis: sed quod aliorum salutis intendit, hoc conuenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis, vt ex supra dictis patet. Unde sicut ad in-

art. præc.
ad 3.

ordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc quòd aliorum gubernationi præficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omnino contra superioris inunctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum: quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore. Vnde August. 19. de Ciuit. Dei dicit*, quòd negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subijcit. Vnde Gregorius dicit in Pastoralibus †, Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quòd utiliter subire præcipitur, pertinax non est.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis simpliciter & absolute loquendo, vita contemplatiua potior sit, quam actiua, & amor Dei, quam dilectio proximi: tamen ex alia parte bonum multitudinis præferendum est bono vnus. Vnde Augustinus* dicit in verbis præmissis, Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis: præsertim quia & hoc ipsum ad dilectionem Dei pertinet, quòd aliquis ouibus Christi curam pastorem impendat. Vnde super illud Ioan. vlt. Pasce oues meas, dicit Augustinus*, Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium, negare pastorem. Similiter etiam prælati non sic transferuntur ad vitam actiuam, vt contemplatiuam deserant. Vnde Augustinus dicit decimonono de ciuit. Dei*, quòd si imponatur sarcina pastoralis officij, nec sic deserenda est delectatio veritatis, quæ scilicet in contemplatione habetur.

Ad secundum dicendum, quòd nullus tenetur obedire prælato ad aliquod illicitum: sicut patet ex his, quæ supra dicta sunt de obedientia. Potest ergo contingere quòd ille, cui iniungitur prælationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod non liceat ei præ-

* lib. 19.
c. 19. ciu-
ca fi. 10 5.
† p. 1 c 6
circa pr.

in argu.
sed cont.

erat 127.
in 10. pa-
rum ante
med. 10. 9

c. 19. fine,
10. 5.

qu. 104.
ar. 5.

la tio-

lationem accipere. Hoc autem impedimentum quandoque quidem remoueri potest per ipsum, cui pastoralis cura iniungitur: puta, si habeat peccati propositum, quod potest deserere. Et propter hoc non excusatur quin finaliter teneatur obedire prælato iniungenti. Quandoque verò impedimentum, ex quo fit ei illicitum pastorale officium, non potest ipse remouere, sed prælatus qui iniungit, puta si sit irregularis vel excommunicatus. Et tunc debet defectum prælato iniungenti ostendere: qui si impedimentum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire. Vnde Exodi 4. cum Moyses dixisset, Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: Dominus respondit ad eum, Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Quandoque verò non potest remoueri impedimentum nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur: sicut si Archiepiscopus non possit super irregularitate dispensare. Vnde subditus non tenetur ei obedire ad suscipiendum episcopatum, vel etiam sacros ordines, si sit irregularis.

Ad tertium dicendum, quòd accipere episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed sit necessarium, ex superioris præcepto. His autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimentum licite apponere antequam fiat præceptum: alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur à susceptione episcopatus vel sacri ordinis. Non autem hoc liceret in his, quæ per se sunt de necessitate salutis: Vnde beatus Marcus non contra præceptum egit, sibi digitum amputando, quamuis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritus sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum iniungere. Qui autem votum emittit de non suscipiendo episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam superioris prælati accipiat, illicite vouet. Si autem intendit ad hoc se obligare, ut quantum est de se, episcopatum non suscipiat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est

votum

votum : quia vouet se facturum id, quod hominem
facere decet .

ARTIC. III.

*Vtrum oporteat eum , qui ad episcopatum assumitur ,
esse ceteris meliorem ?*

878

AD tertium sic proceditur . Videtur, quod oporteat eum , qui ad episcopatum assumitur , esse ceteris meliorem . Dominus enim Petrum, cui commissurus erat pastorale officium, examinavit, si se diligeret plus ceteris. Sed ex hoc aliquis melior est, quod Deum plus diligit . Ergo videtur, quod ad episcopatum non sit assumendus nisi ille , qui est ceteris melior .

¶ 2 Præterea, Symmachus Papa dicit *, Vilissimus computandus est, nisi scientia & sanctitate præcellat, qui est dignitate præstantior . Sed ille qui præcellit scientia & sanctitate, est melior. Ergo nõ debet aliquis ad episcopatum assumi, nisi sit ceteris melior .

*habetur
1. q. 1. c.
Vilissimus .*

¶ 3 Præterea, In quolibet genere minora per maiora reguntur , sicut corporalia reguntur per spiritualia, & inferiora corpora per superiora : vt Aug. dicit in 3. de Trin. * Sed Episcopus assumitur ad regimen aliorum . Ergo debet esse ceteris melior .

c. 4. do. 3.

SED contra est, quod Decretalis dicit *, quod sufficit eligere bonum, neque oportet eligere meliorem.

*in decret.
lib. 1. tit.*

RESPONDEO dicendum, quod circa assumptionem alicuius ad episcopatum, aliquid considerandum est ex parte eius qui assumitur, & aliquid ex parte eius qui assumit . Ex parte enim eius qui assumit, vel eligendo vel providendo, requiritur quod talem eligat, qui fideliter diuina mysteria dispenset, quæ quidem dispensari debent ad utilitatem Ecclesie: secundum illud primæ Cor. 14. Ad ædificationem Ecclesie querite, vt abundetis . Non autem diuina ministeria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro . Et ideo ille qui debet aliquem eligere in episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meli-

*6. c. cõns
in cõcõs,
est 7.
in ordine*

meliozem simpliciter, quod est secundum charitatem: sed meliozem quo ad regimen Ecclesie: qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. Vnde contra quosdam Hieronymus dicit*, quod quidam non quarunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesie prodesse: sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & (vt deteriora taceam) qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est graue peccatum. Vnde super illud Iacobi secundo,

glos. ord.

ex Aug.

in ep. 29.

ad H. er.

declinan

do ad fin.

illius, t. 2

, Fratres mei, nolite in personarum acceptione, & cætera, dicit glossa Augustini*, Si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores ecclesiasticos referamus, nõ est putandum leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini glorie. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris ecclesie, contempto paupere instructiore & sanctiore? Ex parte autem eius qui assumitur, non requiritur, quod reputet se alijs meliozem, (hoc enim esset superbum & præsumptuosum) sed sufficit quod nihil in se inueniat, per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium. Vnde licet Petrus interrogatus esset, an Dominum plus cæteris diligeret, in sua responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus in Petro sciebat ex suo munere esse idoneitatem, etiam quantum ad alia gubernandi ecclesiam. Et ideo eadem simplici dilectione examinauit, ad ostendendum quod vbi alias inuenitur homo idoneus ad ecclesie regimen, præcipue attendi debet in ipso eminentia diuina dilectionis.

Ad secundum dicendum, quod auctoritas illa est intelligenda quantum ad studium illius, qui in dignitate constitutus est. Debet enim ad hoc intendere, vt talem se exhibeat, vt cæteros, & scientia & sanctitate

tate præcellat. Vnde Gregorius dicit in Pastoralis *, p. 2. c. 1. *in prin.*
 Tantum debet actionem populi, actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Non autem sibi imputandum est, si ante prælationem excellentior non fuit, ut ex hoc debeat vilissimus reputari.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur primæ ad Corinthios duodecimo, Divisiones gratiarum & ministracionum & operationum sunt. Vnde nihil prohibet aliquem esse magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia sanctitatis. Secus autem est in regimine naturalis ordinis, in quo id quod est superius ordine naturæ, ex hoc ipso habet maiorem idoneitatem ad hoc quod inferiora disponat.

ARTIC. IV.

Virum episcopus possit licitè curam episcopalem deservere, ut ad religionem se transferat?

879

Ad quartum sic proceditur. Viderur, quod episcopus non possit licitè curam episcopalem deservere, ut ad religionem se transferat. Nulli enim licet de statu perfectiori ad minus perfectum statum transire. Hoc enim est retro respicere: quod est damnable, secundum Domini sententiam, dicentis Lucæ nono, Nemo mittens manū ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Sed status episcopalis est perfectior, quam status religionis, ut supra habitum est *. Ergo sicut non licet de statu religionis redire ad seculum, ita non licet de statu episcopali ad religionem transire.

super q. 184. a. 6. cor. 5. Et inf. q. 189 ar. 7. cor. qu. 187. ar. 1.

¶ 2 Præterea, Ordo gratiæ est decentior, quam ordo naturæ. Sed secundum naturam non movetur idem ad contraria: puta, si lapis naturaliter deorsum movetur, non potest naturaliter à deorsum redire in sursum. Sed secundum ordinem gratiæ licet transire de statu religionis ad statum episcopalem. Ergo non licet è conuerso de statu episcopali redire ad statum religionis.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Nihil in operibus gratiæ debere esse otiosum. Sed ille qui est semel in episcopum consecratus, perpetuo retinet spiritualem potestatem conferendi ordines, & alia huiusmodi faciendi, quæ ad episcopale officium pertinent: quæ quidem potestas otiosa remanere videtur in eo qui curam episcopalem dimittit. Ergo videtur quod episcopus non possit curam episcopalem dimittere, & ad religionem transire.

SED contra, Nullus cogitur ad id quod est secundum se illicitum. Sed illi qui petunt cessionem à cura episcopali, ad cedendum compelluntur: ut patet extra*, de renuntiatione, capitulo, Quidam. Ergo videtur, quod deserere curam episcopalem, non sit illicitum.

*in lib. 1.
decret. ii.
9 & 12.
quidam.*

RESPONDEO dicendum, quod perfectio episcopalis status in hoc consistit, quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc quod saluti proximorum insistat. Et ideo tamdiu obligatur ad hoc, quod curam pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem: quam quidem negligere non debet, neque propter divinæ contemplationis quietem (cùm Apostolus propter necessitatem subditorum, etiam à contemplatione futuræ vitæ se differri patienter toleraret, secundum illud ad Philippenses primo, Ecce, quid eligam ignoro. Coardior autem è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium est propter vos, & hoc confidescio, quia manebo): neque propter quæcumque adversa vitanda vel lucra conquirenda: quia sicut dicitur Ioannis 10. Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Contingit tamen quandoque quod episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter. Quandoque quidem propter defectum proprium, vel conscientiam, sicut si sit homicida vel simoniacus: vel etiam corporis, puta si sit senex vel infirmus: vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam

regi-

regiminis : vel etiam irregularitatis, puta si sit bigamus . Quandoque autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere . Vnde Gregorius * dicit in secundo dial. Ibi æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni . Vbi autem omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuuus . Vnde sæpe agitur in animo perfectorum, quod cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant . Quandoque autem contingit ex parte aliorum, puta, cum de prælatione illius personæ scandalum suscitatur . Nam vt Apostolus dicit 1. ad Corinth. 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem aut iustitiam ecclesiæ conculcare . Propter huiusmodi enim scandalum non est cura pastoralis dimittenda, secundum illud Matth. 15. Sinite illos, (scilicet qui scandalizabantur de veritate doctrinæ Christi) cæci sunt, & duces cæcorum. Oportet tamè quod sicut curam regiminis assumit aliquis per providentiam superioris prælati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis, deserat susceptionem. Vnde extra de renuntiatione dicit Innocentius Tertius *, Si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione, volatum . Soli enim Papa licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum abstrinxit, episcopatum suscipiens .

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio religiosorum, & episcoporum, secundum diuersa attenditur . Nam ad perfectionem religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem . Ad perfectionem autem episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorum salutem . Et ideo quamdiu potest esse aliquis utilis proximorum salutem, retrocederet, si ad statum religionis vellet transire

6.3. a mo. illius .

in det. li. 1. tit. 9 c. 10. in fin. incipit hoc c. nisi cum pridem .

*in decr
l. i. tit. 9
c. 10. nisi
cum pri-
dem, de-
clinando
ad fin.*

fire, vt solum suæ salutis insisteret, qui se obligauit ad hoc quòd non solum suam salutem, sed etiam aliorum procuraret. Vnde Innocentius Tertius dicit in Decretali prædicta, quòd facilius indulgetur, vt monachus ad præfulatum ascendat, quam præful ad monachatum descendat: sed si salutem aliorum procurare non possit, conueniens est vt suæ salutis intendat.

Ad secundum dicendum, quòd propter nullum impedimentum debet homo prætermittere studium suæ salutis: quod pertinet ad religionis statum. Potest autem esse aliquòd impedimentum procurandæ salutis alienæ: & idèd monachus potest ad statum episcopatus assumi, in quo etiam suæ salutis curam agere potest. Potest etiam episcopus, si impedimentum alienæ salutis procurandæ interueniat, ad religionem transire, & impedimento cessante potest iterato ad episcopatum assumi, puta per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem; vel etiam si simoniacè sit promotus eo ignorante, si se ad regularem vitam episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium episcopatum promoueri. Si verò aliquis propter culpam sit ab episcopatu depositus, & in monasterium detrusus ad pœnitentiam peragendam, non potest iterato ad episcopatum reuocari. Vnde dicitur septima quæstione prima, Præcipit sancta synodus, vt quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pœnitentiæ descendente locum, nequaquam ad pontificatum resurgat.

*7. q. 1. c.
ho: ne-
quaquã.*

Ad tertium dicendum, quòd etiam in rebus naturalibus, propter impedimentum superueniens potentia remanet absque actu, sicut propter infirmitatem oculi cessat actus visionis. Et ita etiam potentia est inconueniens, si propter exterius impedimentum superueniens, potestas episcopalis remanere absque actu.

Virum liceat Episcopo propter aliquam persecutionem corporalem, deserere gregem sibi commissum?

880

Aliceat Episcopo propter aliquam persecutionem temporalem, corporaliter deserere gregem sibi commissum. Dicit enim Dominus Ioannis 10. quod ille est mercenarius & non verè pastor, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Dicit autem Gregorius in Homil.* quod lupus super oves venit, cum quilibet iniustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Si ergo propter persecutionem alicuius tyranni Episcopus gregem sibi commissum corporaliter deserat, videtur quod sit mercenarius, & non pastor.

*opus 13.
c. 19. &
20. et 10.
10. lec. 2.
cor. 2. &
1. Cor. 1.
1. fi. co. 1.
fin. & 2.
Cor. 11. fi.
* Ho. 14.
in Euan.
inter pri.
& med.*

¶ 2 Præterea, Prouerbiorum sexto dicitur. Fili, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Et postea subdit, Discurre, festina, suscita amicum tuum. Quod exponens Gregor. in Pastoralis, dicit *, Spondere pro amico est animam alienam in periculo suæ conuersationis accipere. Quisquis autem ad viuendum alijs in exemplum proponitur, non solum ut ipse vigilet, sed etiam ut amicum susciat, admonetur. Sed hoc non potest facere, si corporaliter deserat gregem. Ergo videtur, quod Episcopus non debeat causa persecutionis, corporaliter suum gregem deserere.

*par. 3. c. 5
anse me.*

¶ 3 Præterea, Ad perfectionem Episcopalis status pertinet, quod proximis curam impendat. Sed non licet ei, qui est status perfectionis professus, ut omnino deserat ea, quæ sunt perfectionis. Ergo videtur, quod non liceat Episcopo se corporaliter subtrahere ab executione sui officij, nisi fortè, ut operibus perfectionis in monasterio vacet.

S E D contra est, quod Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, mandauit Dominus Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.

RESPONDEO dicendum, quod in qualibet obligatione

Sec. Sec. Vol. iij. s f tione

tione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere tenetur pro ouibus suis. Si verò subditorum saluti possit sufficere in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere. Vnde Augustinus dicit in epistola ad Honoratum *, Fugiant de civitate in civitatem serui Christi, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab alijs, qui non ita quærentur, non deseratur ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Si enim perniciosum est, nauam in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus? ut dicit Nicol. Papa, * & habetur septima quæst. 1.

*Epif. 180
non mul-
tū remo-
tè a prin.
10. 2.*

*7. q. 1. c.
Sciencia-
ris.*

*Hom. 14.
in euāg.
cir. med.*

Ad primum ergo dicendum, quod ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale, vel etiam salutem corporalem, spirituali saluti proximorum præponit. Vnde Gregor. dicit in Homil. * Scire in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum querit. Et ideo opponere se contra periculum, crepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Ille autem qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis non tanquam mercenarius fugit.

Ad secundum dicendum, quod ille qui spondet pro aliquo, si per se implere non possit, sufficit ut per alium impleat. Vnde prælatus si habet impedimentum, propter quod non possit personaliter curæ subditorum intendere, suæ sponsioni satisfacit, si per alium provideat.

Ad

Ad tertium dicendum, quod ille qui ad episcopatum assumitur, assumit statum perfectionis secundum aliquod perfectionis genus; a quo si impediatur, ad aliud genus perfectionis non tenetur, ut scilicet necesse sit eum ad statum religionis transire. Imminet tamen sibi necessitas, ut animum retineat intendendi proximorum salutem, si opportunitas adsit, & necessitas requirat.

ARTIC. VI.

Utrum liceat episcopo aliquid proprium habere?

881

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod Episcopo non liceat aliquid proprium possidere. Dominus enim dicit Matthæi decimonono, Si vis perfectus esse, vende, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Ex quo videtur, quod voluntaria paupertas ad perfectionem requiratur. Sed Episcopi assumuntur ad statum perfectionis. Ergo videtur, quod non liceat eis proprium possidere.

*inf. q. 186
a 3. ad 5
& opus.
18. c. 17.
& 18.*

¶ 2 Præterea, Episcopi in Ecclesia tenent locum Apostolorum, ut dicit glossa *, Luca decimo. Sed Apostolis Dominus præcepit, ut nihil proprium possiderent, secundum illud Matthæi 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Unde & Petrus pro se & pro alijs Apostolis dicit, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; Matth. 19. Ergo videtur, quod Episcopi teneantur ad huiusmodi mandati observantiam, ut nihil proprium possideant.

*et gl. Be-
da, c. 10.
in Lu. a,
non longe
a pri. 1. 2*

¶ 3 Præterea, Hieronymus dicit ad Nepotianum *, Cleros Græcè, Latine fors appellatur, propter quod clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus fors, id est, pars clericorum est. Qui autem Dominum possidet, nihil extra Deum habere potest. Si autem aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem habet, cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius. Ergo videtur, quod non solum Episcopi, sed etiam clerici debeant proprio carere.

*tom. 1. Es
refertur
12. q. 1. c.
clericus.*

12 q. 1. c. *Epif. opi.* SED contra est, quod dicitur 12. q. 1. * Episcopus de rebus proprijs, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habet, hæredibus suis derelinquat.

epif. 45. non mul. sū remo- tō à j. s. 2 RESPONDEO dicendum, quod ad ea que sunt supererogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter ad illud voto astringat. Vnde Augustin. * dicit in epistola ad Paulinam & Armentarium, Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quod esses inferior. Manifestum est autem quod viuere absque proprio, supererogationis est. Non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio. Vnde Matthæi decimonono, cum dixisset Dominus adolescenti, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: postea superaddendo subdidit, Si vis perfectus esse; vade, & vende omnia que habes, & da pauperibus. Non autem Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, vt absque proprio viuant, neque etiam viuere absque proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligant. Et ideo non tenentur Episcopi ad hoc, quod sine proprio viuant.

9. 184. a. 3. Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra habitum est *, perfectio Christianæ vitæ non consistit essentialiter in voluntaria paupertate; sed voluntaria paupertas instrumentaliter operatur ad perfectionem vitæ. Vnde non oportet, quod vbi maior paupertas est, ibi sit maior perfectio: quinimmo potest esse summa perfectio cum magna opulencia. Nam Abraham, cui dictum est Genes. decimo septimo, Ambula coram me, & esto perfectus, legitur fuisse diues.

*super illud Mat. 10. 10. 9. * lib. 2. c. 10 à me. 10. 4.* Ad secundum dicendum, quod verba illa Domini possunt tripliciter intelligi. Vno modo, mystice, vt nō possideamus, neque aurum neque argentum; id est, vt prædicatores non innitentur principaliter sapientiæ & eloquentiæ temporali, vt Hieronymus exponit. Alio modo, sicut August. * exponit in lib. de Consensu Euangelistarum, vt intelligatur hoc Dominum non præcipiendo, sed magis permitiendo dixisse. Pet. misse

misit enim eis, ut absque auro & argento & alijs sumptibus ad prædicandum irent, accepturi sumptus vitæ ab his quibus prædicabunt. Vnde subdit, Dignus est enim operarius cibo suo. Ita tamen, quod si aliquis proprijs sumptibus uteretur in prædicatione Evangelij, ad supererogationem pertineret: sicut Paulus de seipso dicit primæ ad Corinthios nono. Tertio modo, secundum quod Chrysostomus exponit, ut intelligatur illa Dominum præcepisse discipulis, quantum ad illam missionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis, ut per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus prouideret. Ex quo tamen non obligabantur ipsi vel successores eorum, ut absque proprijs sumptibus Euangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur secundæ ad Corinth. 11. quod ab alijs ecclesijs stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs: & sic patet, quod aliquid possidebat ab alijs sibi missum. Stultum autem videtur dicere quod tot sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus, illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea seruanda se crederent obligari.

Ad tertium dicendum, quod omnis pars est minor toto. Ille ergo cum Deo alias partes habet, cuius studium diminuitur circa ea quæ sunt Dei, dum intendit his quæ sunt mundi. Sic autem non debent, nec episcopi, nec clerici proprium possidere, ut dum curant propria, defectum faciant in his quæ pertinent ad cultum diuinum.

ARTIC. VII.

882

Vtrum Episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica qua procurant, pauperibus non largiantur?

quoli. 6. ar. 12.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur. Dicit enim Ambrosius exponens illud Luc. 12. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit. Proprium nemo dicat quod è communi plus quam sufficiat sumptum, & violentè obtentum est. † Et postea subdit, Neque

in ser 81 declinatio ad fi. to. 3. eodem loco nunc dicto.

§ 3 minus

in Hom. super illud Pauli, Salute Prijsam & Aquilæ, anse me. Et habetur intermediè post expositionem epistolæ ad Rom. 1.4.

minus est criminis habenti tollere, quàm cum possis & abundas, indigentibus denegare. Sed violenter tollere alienum, est peccatum mortale. Ergo episcopi mortaliter peccant, si ea quæ eis superflunt, pauperibus non largiantur.

*in hunc locum
cum Esa.
10. 5.*

¶ 2 Præterea, Super illud Isa. 3. Rapina pauperum in domo vestra, dicit gloss. * Hier. quod bona ecclesiastica sunt pauperum. Sed quicumque id quod est alterius, sibi reservat, aut alijs dat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ergo si episcopi bona ecclesiastica, quæ eis superflunt, sibi retineant, vel consanguineis vel amicis largiantur, videtur quod teneantur ad restitutionem.

*Habetur
1. q. 2. c.
clericos.
c. 16. q.
1. c. quoniam.*

¶ 3 Præterea, Multo magis aliquis potest de rebus ecclesiæ ea quæ sibi sunt necessaria, accipere, quàm superflua congregare. Sed Hieronymus dicit in epistola ad Damasum Papam *, Clericos illos convenit stipendijs ecclesiæ sustentari, quibus parentum & propinquorum bona nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus proprijs sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt & incurrunt. Unde & apostolus dicit prima ad Timoth. 5. Si quis fidelis habet viduas, subministrat illis, & non gravetur ecclesia, ut his quæ verè viduas sunt, sufficiat. Ergo multo magis episcopi mortaliter peccant, si ea quæ eis superflunt de bonis ecclesiasticis, pauperibus non largiantur.

SED contra est, quod plures episcopi ea quæ superflunt, non largiuntur pauperibus, sed expendere videntur laudabiliter ad reditus ecclesiæ ampliandos.

RESPONDEO dicendum, quod aliter est dicendum de proprijs bonis quæ episcopi possident, & de bonis ecclesiasticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent. Unde ex ipsarum conditione non obligantur, ut ea alijs conferant, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam alijs pro libito largiri. Possunt tamen in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam

contingit, q̄ vel sibi plura conferant, quàm oporteat, vel alijs etiam non subueniant, secundum quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia huiusmodi res sunt eorum dominio deputatæ: sed ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores vel procuratores. Dicit enim August. ad Bonifacium *, Si priuatum possidemus bonum quod nobis sufficiat, non illa † bona nostra sunt, sed illorum quorum procuracionem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicemus. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundum illud primæ ad Corinth. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Sunt autem bonæ ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum diuinum & necessitates ministrorum expendenda. Vnde dicitur duodecima quæstione* secunda, De redditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium, sola episcopo ex his vna portio mitatur, duæ ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profutura, à presbytero, sub periculo sui ordinis ministrantur, vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur. Si ergo distincta sint bona quæ debent in vsum episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus & ministris & cultui ecclesiæ eroganda, & si aliquid sibi retinuerit episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda: non est dubium quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de proprijs bonis: vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si verò non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur. Et si quidem in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento: quia non potest homo in talibus punctualiter accipere il-

§ f 4 lud

*Ep. 50. in
terme. &
si. per. 2.
† scilicet
quæ no-
stra sunt
& pau-
perum.*

*12. q. 2. c.
de reditibus
Eccles.*

lud quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere. Vnde videtur bonæ fidei repugnare: & ideo non est absque peccato mortali. Dicitur enim Matth. 24. quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit dominus meus venire (quod pertinet ad diuini iudicij contemptum), & ceperit percutere conseruos suos (quod pertinet ad superbiam); manducet autem & bibat cum ebriosis (quod pertinet ad luxuriam): veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & diuidet eum (scilicet à societate bonorù), & partem eius ponet cū hypocritis (scilicet in inferno.)

Ad primum ergo dicendum, quòd verbum illud Ambrosij non solum est referendum ad dispensationem rerum ecclesiasticarum, sed quorumcumque bonorù, ex quibus tenetur aliquis debito charitatis providere necessitatem patientibus. Non autem potest determinari, quando sit ista necessitas quæ ad peccatum mortale obliget, sicut nec cætera particularia quæ in humanis actibus considerantur. Horum enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ.

Ad secundum dicendum, quòd bona ecclesiarum non sunt solum expendenda in vsus pauperum, sed etiam in alios vsus, vt dictū est ¶. Et ideo si de eo quod vsui episcopi vel alicuius clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel alijs dare, non peccat dummodo illud faciat moderate, id est, vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant. Vnde Ambr. dicit in libro de Offic. * Hæc est approbanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.

Ad tertium dicendum, quòd non omnia bona ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captiuorum & alijs necessitatibus pauperum, vasa cultui diuino dicata distrahuntur, vt Ambros. * dicit. Et in tali necessitate peccaret clericus, si veller de rebus ecclesiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia

*gloss. ord.
& inter
ibid.*

*in co. ar.
i. 1. c. 30.
par. ante
me. to. 1.
et habe-
tur in De-
cre d. 36.
c. est pro-
banda.
l. 2 de of-
fi. c. 20. §.
1. & ha-
bitur 12.
q. 1. cap.
Aurum.*

lia bona, de quibus viuere possent.
 Ad quartum dicendum, quod bona ecclesiarum
 vñibus pauperum deseruire debent. Et ideo si quis ne-
 cessitate non imminente prouidendi pauperibus, de
 his quæ superfluunt ex prouentibus ecclesiæ, possessio-
 nes emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati
 ecclesiæ & necessitatibus pauperum, laudabiliter faci-
 cit. Si verò necessitas imminet pauperibus erogandis,
 superflua cura est & inordinata, vt aliquis in futurum
 conseruet. Quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens,
 Nolite solliciti esse in crastinum.

ARTIC. VIII.

*Utrum religiosi qui promouentur in Episcopos, tenean-
 tur ad obseruantias regulares.*

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod religiosi
 qui promouentur in episcopos, non teneantur ad
 obseruantias regulares. Dicitur enim 18. quæst. * 1.
 quod monachum canonica electio à iugo regulæ mo-
 nasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de
 monacho episcopum facit. Sed obseruantia regulares
 pertinent ad iugum regulæ. Ergo religiosi, qui in
 episcopos assumuntur, non tenentur ad obseruantias
 regulares.

¶ 2 Præterea, Ille qui ab inferiori ad superiorem
 gradum ascendit, non videtur teneri ad ea quæ sunt
 inferioris gradus: sicut supra dictum est *, quod reli-
 giosus non tenetur ad obseruanda vota quæ in seculo
 fecit. Sed religiosus qui assumitur ad episcopatum,
 ascendit ad aliquid maius, vt supra habitum est *. Er-
 go videtur, quod non obligetur episcopus ad ea quæ
 tenebatur obseruare in statu religionis.

¶ 3 Præterea, Maxime religiosi obligari videntur
 ad obedientiam, & ad hoc quod absque proprio vi-
 uant. Sed religiosi qui assumuntur ad episcopatum,
 non tenentur obedire prælati suarum religionum,
 quia sunt eis superiores: nec etiam videntur teneri ad
 paupertatem, quia sicut in decreto supra * inducto di-
 citur, Quem sacra ordinatio de monacho episcopum
 facit,

883
 sup. q. 88
 ar. 11 ad
 4 & 4. d.
 38. q. 1. a.
 4. q. 1. ad
 5.
 * 18. q. 1.
 c. Statu-
 tum.

q. 88. ar.
 12. ad 1.

q. 184. a.
 7.

ar. 1. em-
 ins ar.

facit, velut legitimus hæres paternam sibi hereditatē iure vendicandi potestatem habet, interdum etiam conceditur eis testamenta conficere. Ergo multo minus tenentur ad alias obseruantias regulares.

16 7. 5. c. de Mon. SED contra est, quod dicitur in Decr. 16. * 7. De monachis qui diu morātes in monasterijs, si postea ad clericatus ordines peruenerint, statuimus non debere eos à priori preposito discedere.

9. p. acc. ar. 7.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est *, status religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via in perfectionem tendendi. Status autem episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisterium. Unde status religionis comparatur ad statum episcopalem sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem. Dispositio autem non tollitur perfectione adueniente, nisi fortè quantum ad id, in quo perfectioni repugnat. Quantum autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur: sicut discipulo, cum ad magisterium peruenerit, non congruit quòd sit auditor, congruit tamen sibi quòd legat & meditetur etiam magis, quàm ante. Sic ergo dicendum est, quòd si qua sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediunt pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi: ad hæc remanet religiosus, etiam factus episcopus, obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ religionis, qui est huius obligationis, signum. Si qua verò sunt in obseruantijs regularibus, quæ officio pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliqua abstinencia vel vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium: ad huiusmodi obseruanda non tenetur. In alijs tamen potest dispensatione vri, secundum quod requirit necessitas personæ, vel officij, & conditio hominum cum quibus uiuit, per modum quo etiam prælati religionum in salibus secum dispensant.

QVÆST. CLXXXV. ART. VIII. 651

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui fit de monacho episcopus, absoluitur à iugo monastica professionis, non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant, ut dictum est *.

in co. ar.

Ad secundum dicendum, quod vota secularis vitæ se habent ad vota religionis, sicut particulare ad vniuersale, ut supra habitum est *. Sed vota religionis se habent ad pontificalem dignitatem, sicut dispositio ad perfectionem. Particulare autem superfluit habito vniuersali, sed dispositio adhuc necessaria est, perfectione obenta.

q. 88. ar.

12. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod hoc est per accidens, quod episcopi religiosi obedire prælatis suarum religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi prælatis religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet quod si eis legitime aliquis præficeretur, obedire tenerentur, in quantum tenentur obedire statuti regulæ per modum prædicti, & suis superioribus, si quos habent. Propriū autem nullo modo habere possunt. Non enim paternā hereditatem vendicāt quasi propriam, sed quasi ecclesiasticā debitam. Vnde ibidem * subditur, quod postquam episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur & intitularur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quæ morte finitur. Ex qua incipit testamentum valere, ut Apost. dicit ad Heb. 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut eius dispensatio possit valere post mortem.

18. q. 1. c.

Statutū

in fine.

QVÆST. CLXXXVI.

De iis, in quibus religionis status præcipue consistit, in decem articulos diuisa.

Ad Binde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum religionis, Circa quod occurrit quadruplex